



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

8 Vtrum in temporalibus bonis debeamus nos ipsos magis diligere quàm
proximum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

3 Neque obstat Moysen *Deuterom.* 32. elegisse potius beatitudine carere, quam populum condemnatum relinquere. Dixit enim Deo, *Aut dimitte illi hanc noxam, aut dele me de libro vitae.* & Paulum voluisse anathema esse à Christo pro fratribus, quia omnis alius explicacionibus, quæ supradictis locis adhibent expositores communiter, ea mihi magis probatur, quæ cum Augustino *quaestione 147. super Exod.* affirmat, neque Paulum, neque Moysen voluisse absolute beatitudine carere, sed per quandam exaggerationem, & filialem confidentiam fuisse locutos, scientes non esse beatitudine priuandos, dixisque Deo, sic salutem proximorum desideramus, ut si per impossibile vnum è duobus est faciendum, concedatur aliis æterna salus, etiam si nos à visione tua excludas, quod scimus facturum non esse; sicut si amicissimo diceret: Parce his rebellibus, vel dele me de tua amicitia, aut me cum illis interfice. Non enim vis moti, neque amicitia illius priuari, etiam si ille pericionem non concedat, sed per exaggerationem loquaris, ut declares te desiderare aliorum ventam, ac desideras vitam, eiusque amicitiam.

4 Verum est, licitum tibi esse, & laudabile velle pro aliquo tempore pati dilationem beatitudinis, ut proximorum saluti provideas, sicut fecit Paulus *ad Philippens.* 1. Coarctor è duobus desiderium habens, dissolui, & esse cum Christo, permanere autem in carne necessarium propter vos, & de S. Martino testatur in eius vita Bernard. morientem dixisse: Si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, & sic de aliis. Quia carentia beatitudinis pro aliquo tempore determinato compensatur sufficienter voluntate aliorum, & meritum proprio incremento. Nunquam tamen tibi licet velle nec pro vna hora, gratia, & charitate carere, etiam si abique peccato futurum ellet, quia non est medium ad salutem aliorum proportionatum, & præterea est contra inclinationem charitatis, quæ per huiusmodi desiderium ad sui destructionem tenderet. sic docet, & late probat Valentia. 2. 2. *disputatione 3. quaestione. 4. puncto 3. concl. 2.*

5 Dico secundò. Si bona spiritualia sunt extra obligationem, poteris abique peccato alios tibi præferre. sic Valent. 2. 2. *disp. 3. quaest. 4. punct. 3. concl. 1.* Et ratio est manifesta, quia si nulla est obligatio procurandi illa bona nec tibi, neque aliis, sed pro libito ea tibi, & aliis procurare potes, quod illa aliis procures, & non tibi, non obinde argui potes, sed potius laudari, quia opus laudabile facis. Nihilominus verum est charitatem inclinare, ut potius tibi, quam aliis, hæc quæ ad perfectionem continent, procures. Sed quia ad hæc non obligaris, ideo potes abique peccato procurare aliis, & non tibi: At si bene aduertitur, & tibi procuras perfectionem: non enim potes aliorum perfectionem promouere, quin tuam etiam promoucas.

PUNCTUM VIII.

Vitam in temporalibus bonis debeamus nos ipsos magis diligere: quam proximum.

- 1 Pro bono reipublicæ, bona fortune, imò & vitam expendere debes.
- 2 In æquali tui, & alterius particularis necessitate, non teneris alium tibi præferre.
- 3 In bonis fortune potes proximam tibi præferre.
- 4 Proponuntur varia sententia, affirmans, & negans te constitutum in æquali necessitate bonorum, quæ conservare teneris, posse alium tibi præferre.
- 5 Conciliantur hæc sententia.
- 6 Satisfit rationibus n. 4. adductis.
- 7 Oppetere mortem, & exponere te periculo vite ob conservandam vitam proximi extraneo non est mortale, sed cauenda est cooperatio.

1. **P**remitto certa, ut gradum faciam ad dubia, & controuersa. Primò certum est te debere in æquali tui, & reipublicæ necessitate non solum bona fortunæ, sed etiam vitam expendere pro reipublicæ conseruatione. sic D. Thom. ab' omnibus receptus 2. 2. *quaest. 29. art. 3.* quia bonum commune præferendum est specialis, & pars exponenda est ob conseruationem totius. Dixi, in æquali necessitate. Nam si reipublica solum grauius, & non extremè indigeat, probabilitate non caret te obligatum non esse vitam expendere; quia tunc extrema tua necessitas præponderat graui reipublicæ. Item ius conseruandi vitam est homini maximè conaturale. Ergo non est obligandus amittere ob quamlibet reipublicæ necessitatem, sed solum ob extremam. sic Suarez 2. 2. *disp. 9. de charitate, sect. 3. num. 1.* Quod dictum est de reipublica, dicendum est de Principe, seu alia persona reipublicæ necessaria, si verè necessaria est, quia idiplum

est reipublicæ prouidere. sic Suarez *suprà.* Valent. *disp. 3. quaest. 4. punct. 2. conclus. 4. fine.*

2. Secundò est certum in æquali necessitate tui, & cuiuslibet priuari te posse tibi, & non alteri prouidere, imò hoc charitati esse conformius, quæ inclinatur potius ad sui, quam ad aliorum amorem, iuxta illud Martini 19. *Dilige proximum tuum sicut te ipsum.* sic D. Thom. *suprà art. 4.* Coninch. *disp. 6. num. 79.* Suarez *disp. 9. sect. 3. & alij.* Si verò necessitates dispares sunt, ut si proximus sit in extrema, tu verò in graui, ipse in periculo manifesto vitæ, tu in periculo solum probabili, poteris illum succurrere. At credo te non teneri, quòd possis, probatur, quia iuxta ordinem charitatis est, ut bonum maius proximo proprio præferatur. At negari non potest vitam proximi, quæ alia via conseruari non potest, maius bonum esse, quam exclusio probabilis periculi vite propriæ, scilicet grauius malum est mors certa quam periculum illius. Ergo charitati conforme est, si periculo probabili te exponas ob vitandum certum tui proximi. sic tradit Valent. 2. 2. *disp. 3. quaest. 4. conclus. 3. vers. secunda sequitur.* & hinc est te posse cum periculo vite inferuire peste infectis. Quòd autem non teneris, probatur quia præceptum de conseruanda vita alterius non potest cum graui detrimento propriæ obligare: esse enim nimis asperum, & durum præceptum. At qui se exponit periculo probabili amittendi vitam propriam ob conseruationem alienæ, graue detrimentum patitur. Ergo ad hoc non est obligandus. sic Emanuel Saa *verbo charitatis, num. 2. in vtraque editio. ne cum Nauar. cap. 24. num. 9.* Tolet. *libro 4. capite 10. numer. 4.* Lopez 1. *part. capite 67.* An verò si proximus in periculo vite verierit, tu verò in periculo admittendi fortune bona, teneris illi succurrere, contabit ex iis, quæ disput. seq. de elemosina trademus.

3. Tertiò est certum in bonis, quæ ex obligatione conseruare non tenemur, posse proximum nobis præferre. Quapropter licet nobis proximo egerit donare etiam ea, quæ nostro statui necessaria sunt, loquor de homine libero, non de parrefamilias, cui alia via hæc prohiberi possent. sic Coninch. *disp. 25. dub. 6. num. 79.*

4. Dubium igitur est, an pecces contra charitatem, si constitutus in æquali necessitate bonorum, quæ ex obligatione conseruari debes, ut vitæ, & corporis, cedas tui conseruationi, ut vitæ, & corpus proximi conseruetur?

Sunt qui affirmant te peccare, ea præcipue ratione moti, quia charitas obligat propriam, & alienam vitam conseruare, & ceteris paribus potius obligat propriam, deinde alienam, quia, ut ait D. Thomas 2. 2. *q. 26. artic. 4.* propria vita magis illi coniuncta est. Ergo contra charitatis obligationem procedis, si hanc ordinem perueris. Ergo peccas. sic Paludanus 4. *distinct. 15. quaest. 3. art. 1. concl. 3.* Gabriel. *ibidem distinct. 16. quaest. 4. artic. 2. conclus. 1.* & videtur esse Augustini *lib. de mendac. cap. 6.* vbi ait: Si quis exponat vitam corporalem propriam pro vita corporali alterius, iam non diligit proximum sicut se ipsum, sed plusquam se ipsum, quòd sanæ doctrinæ regulam excedit. Ergo est contra regulam charitatis. Econtra alij negant te peccare, sed potius dicunt te opus laudabile facere. Mouentur, quia non teneris ita propriam vitam conseruare, quin possis eam periculo exponere ob aliquem honestum finem, ut multis exemplis Lessius *lib. 2. c. 9. dub. 5. à num. 27.* confirmat. Sed conseruare vitam proximi est honestus finis, & proprius virtutis charitatis, & fortitudinis. Ergo non peccas, si ob hunc finem exponas propriam. Deinde pro conseruatione tui status, acquisitione honoris, & rerum fortunæ potes laudabiliter vitam exponere. Ergo à fortiori pro conseruatione vite proximi, quòd maius bonum est. Denique pro conseruando statu, rebusque fortunæ alicuius domini se exponit famulus certissimus vite periculis, & stipendium accipit, ut sic obligetur. Ergo si id faciat ex liberalitate, laudabilior erit, & ita tenet Lessius *lib. 2. capite 9. dub. 6. numer. 29.* Coninch. aliis relatis *disp. 25. dubitatio. 6. num. 81.*

5. Alij supradictas sententias conciliant, & primam sententiam procedere dicunt, quoties nulla specialis ratio adest exponendi vitam propriam, nisi conseruatio alienæ, ut contingit cum illum exponis pro extraneo, nec tibi amico, nec benefactore, neque specialiter reipublicæ necessitate. Secundam sententiam dicunt procedere, cum aliqua specialis ratio intercedit, scilicet ostendere amico debitum amici officium, gratificari illi beneficia, prouidere alicui utilitati communi, quia tunc non amas proximum plusquam te, sed opus virtutis amas præ vitæ, ut dixit D. Thom. *suprà* relatus. sic Suar. *disp. 9. de charit. sect. 3. num. 7.* Valent. *disputatio 3. quaestione. 4. conclusio. 3.* & hic modus dicendi mihi probabilior apparet argumentis pro vtraque sententia adductis.

6. Neque aduersus hunc modum dicendi videntur rationes allegatæ pro sententia Lessij, & Coninch. Negamus namque conseruationem vite proximi amissionem debiti charitatis. Erat autem finis honestus, si cum conseruatione vite proximi, ostensio amicitie, gratitudinis ad beneficia, fidelitatis, aut alterius virtutis coniungatur, ut contingit in omnibus exemplis allatis à Lessio, & quæ adducta sunt in conseruationem illius negatiue sententia. Quòd

Quod si obicitur: Si aliquis culpabiliter, vel inculpabiliter, te inuadit, cuius ictum declinare non potes, nisi illum occidas, licet tibi abstinere ab illius occasione, & permittere, vt te occidat. Ergo iam conseruatio precia vitæ alienæ est honestus finis ad permittendam propriam mortem.

Respondendū negando consequentiam: non enim permittis te occidi ob alterius vitæ conseruationem præcisè: sed ne illum occidas: est enim occisio cuiuslibet hominis ita grauis, dura, & terribilis, vt actus sit peccatis ab illa abstinere, etiam si tibi liceat: permittere ergo eam mortem ob huiusmodi finem actus est laudabilis.

7. Aduertit tamen Suarez disp. 9. sect. 3. num. 7. non esse peccatum mortale, sed solum veniale oppetere mortem, & exponere vitam propriam, pro conseruanda præcisè vitæ proximi extantem, quia licet charitas obliget prius amare seipsum, quam proximum in æquali necessitate etiam temporali, non tamen sub graui obligatione hunc ordinem imponit, sed sub leui. Secundo aduertit esse cauendum ne postuæ ad mortem propriam coopereris, existimât autem & bene te cooperaturum, si proximo periclitanti in mare, cederet tabula iam a te occupatæ, vt ipse se saluaret, sciens te inde esse periclitaturum: quia illa cessio est eorum positiua in vndis immersio, quæ tibi non licet. Secus vero si tabula a te occupata non esset, poterat tunc permittere ad alio occupari, quia tunc non cooperaris morti propriæ, sed assistes a conseruatione vitæ ob alterius vitæ conseruationem, & tradit Valquez obse. de elemos. cap. 2. num. 2. Hæc omnia dicta sunt de homine libero, cuius vita aliis necessaria non est. Nam si aliis necessaria est, vt filiis, & vxori, & conseruandis cum ad bonum spirituale, tum ad temporale, nullo modo liceret pro vita alterius prius hominis propriam exponere, sed grauius talis peccatum non enim cum tantorum detrimentum vitæ alterius succurrere debeat. sic Coninch. disp. 23. dub. 5. in fine, n. 84. Bonacina disp. 4. de charit. p. 4. sine, n. 6.

PUNCTUM IX.

An ex charitate obligeris, & quando, salutem spiritualem proximorum bonis propriis temporalibus, fortunæ, & vitæ præferre.

- 1. Præmittitur tria certissima.
- 2. Similitur regula ab omnibus recepta te obligatum esse salutem spiritualem cuiuslibet proximi tuis bonis temporalibus fortunæ, & vitæ præferre.
- 3. Hæc obligatio viget in extrema proximi necessitate.
- 4. Si Petro dormienti, & in peccato mortali existenti scires mortem euenturam, teneris cum periculo vitæ impedire.
- 5. Item est de infante Christiani filio.
- 6. Homini peccatori in extremis, non teneris semper cum periculo vitæ penitentiam sacramentum ministrare.
- 7. Te inuadentem bene potes occidere, tamen si in peccato moriatur.
- 8. Examinantur tres casus positi à Valentia.
- 9. Extrema casum extremum non teneris cum graui iactura succurrere proximo priuato in spiritualibus.
- 10. Proximo communi, scilicet republicæ, teneris cum periculo vitæ succurrere.
- 11. Cuiuslibet proximo grauem necessitatem spiritualem patienti teneris cum leui tuo detrimento succurrere.
- 12. Si superior, & pastor sis, teneris cum periculo vitæ graui spirituali necessitati proximi subuenire.
- 13. Non potes tempore pestis fugere.

Præmitto primò, Nomine proximorum, vt constat ex sæpè dictis, non solum quilibet particularis homo intelligatur, sed à fortiori quilibet communis, republica, & regnum. Item loqui possumus de obligatione hominis particularis, & priuati, vel de obligatione superioris, Principis, & pastoris.

Secundò præmitto triplicem esse necessitatem proximi de tuo auxilio leuem, grauem, & extremam. Leuis est, quam proximus leui conatu, & facili negotio absque tuo auxilio repellere potest. Grauis, quæ sine tuo auxilio non nisi graui conatu, & difficultate ab illa se potest proximus liberare. Extrema est solum periculum æternæ damnationis, à quo proximus absque tuo auxilio vel se omnino eripere non potest, vel cum tanta difficultate vt prudentis iudicio reputetur moraliter insuperabile, ac proinde omnino impossibile.

Præmitto terciò, vt proximo obligeris succurrere cum iactura propria, duo tibi debent esse moraliter certa. Primò proximum indigere tuo auxilio, quia alius non adest, qui succurrat. Secundò, auxilium tuum fore profuturum. In his tribus suppositis omnes conueniunt, vt videre est in Doctores in discursu referendis.

Regula ergo certissima, & ab omnibus catholicis recepta. Ret. de Castro. Sum. Mor. Pars I.

est, te obligatum esse salutem spiritualem cuiuslibet proximi tuis bonis temporalibus fortunæ, & vitæ præferre, ita vt si opus sit hæc omnia expendere pro illius conseruatione, id debeas facere. Probatur ex illo Ioann. 14. Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos. At Christus dilexit nos expendendo propriam vitam pro nostra spirituali salute. Ergo sic debemus proximos diligere. Et confirmatur ex illo Ioann. cap. 3. In hoc cognouimus charitatem Dei, quia ille animam suam posuit pro nobis, & nos debemus pro fratribus animam ponere, quem locum expendens Augustinus libro de mendacio cap. 6. dixit, temporalem vitam suam, pro æterna proximi non dubitabit Christianus amittere. Ratio est, quia bona spiritualia, & maximè æterna excellentiora, & Deo gratiora sunt quolibet temporali bono, etiam proprio. Ergo ex charitate huic bono illa præferri debent.

Difficultas autem est, quibus euentibus id necessariò faciendum sit, quod sequentibus conclusionibus explicabimus.

3. Prima conclusio est, in extrema proximi necessitate debes non solum bona temporalia, sed etiam vitam expendere, si tibi spes est fore profuturum, sic cum D. Thom. 2. 2. quæst. 26. art. 5. tradunt omnes eius expostores, Caietanus, Bannes, Aragon, & alij Valent. disp. 3. quæst. 4. punct. 4. assert. 5. Torres disp. 37. dub. 2. conclus. 3. Lorca sect. 3. disp. 28. memb. 2. Azor. tom. 2. lib. 12. cap. 4. Toler. lib. 4. summ. cap. 10. Coninch. disp. 25. dub. 7. num. 86. Suarez de charitate, disp. 9. sect. 2. num. 2. Bonacina disp. 3. quæst. 4. de charitate, punct. 4. num. 2. Ratio est, quia præceptum expendendi vitam propriam pro salute proximi in aliquo casu obligat, aliàs superuacaneum esset. Ergo ad minus obligare debes in casu extremæ necessitatis.

4. Ex quo infero primò. Si Petro dormienti, & pharæsi labo ranti, & in peccato mortali existenti mortem scires euenturam, siue à se, siue ab alio, teneris cum periculo vitæ impedire si potes & moraliter certus es à peccato postea esse liberandum, aliàs non quia hæc est extrema necessitas, sic Coninch. n. 87. Suarez disp. 9. sect. 2. n. 3.

5. Infero secundò. Si infans filius Christiani fidelis sit morti proximus, indigeatque Baptismo, quem absque periculo vitæ conferre non potes, neque alius sit, qui conferat, teneris cum periculo vitæ conferre, quia illa est extrema necessitas, à qua non potest infans se liberare. Neque obstat illam necessitatem prouenire ab extrinseca aliqua causa, scilicet à tyranno impediente Baptismum, ob cuius rationem negat Sotus relect. de seeret. membr. 2. quæst. 2. post. 6. conclus. non esse hunc casum extremæ necessitatis per se, sed per accidens, quia impertinens est, à quo & quomodo proueniat necessitas, vt de obligeris: si de facto necessitas viget. sic Nauarr. cap. 24. num. 6. Lorca 2. 2. sect. 5. disp. 28. num. 32. Coninch. disp. 25. dub. 7. num. 88. Suarez disp. 9. sect. 2. num. 3. Bonacina disp. 3. quæst. 4. de charitate, punct. 4. num. 2. Valent. disp. 3. quæst. 4. de charitate, punct. 3. in fine. Dixi si infans sit illius Christiani fidelis, nam si filius ethnicus sit, non est constans inter Doctores, an parentibus inuitis possit baptizari. In illo ergo casu, in quo baptizari potest, teneris cum periculo vitæ Baptismum illi conferre. sic Suarez supra. Postea autem baptizari, quoties absque vi illata parentibus, & graui illorum perturbatione fieri potest, communior ferè sententia. sic Coninch. supra. Scio tamen Emanuelem Saa verbo charitas, num. 4. in vtraque editione, reputare te non esse obligatum puero huic Baptismum conferre cum periculo vitæ, alioqui enim teneretur mater grauida permittere se secare, vt filius in vtero existens baptizaretur, alioquin sine Baptismo moriturus, quod non est concedendum.

6. Terciò infero quid dicendum sit de eo, qui diu vixit in consuetudine peccandi, & morte proximus petit Confessarium, à quo absoluitur, an debeas parochi, neque alio succurrere, absolutionem concedere cum periculo propria vitæ? affirmat Bannes 2. 2. quæst. 28. art. 1. Suarez supra num. 3. Valent. disp. 3. verbo quatuor casus, quia huic difficillimum est habere contritionem. Ergo reputanda est illa extrema necessitas.

Sed credo hoc solum esse intelligendum in homine rustico, aut prolixo ignaro ad iustificationem extra sacramentum requiri contritionem, quia huic moraliter impossibile est contritionem habere, cum eius menti obligatio habendi contritionem non occurrat. sic Coninch. disp. 23. de charitate, dub. 7. num. 90. cum Nauarr. cap. 24. num. 8. & indicat Bonacina num. 2. quatenus dicit requiri ad extremam necessitatem, vt non valeat actum contritionis elicere. Aliàs si cuiuslibet perenti absolutionem deberes cum periculo vitæ impendere, ne ob defectum contritionis in æternum percat, sine dubio obligatus esses tempore pestis, & inuasionis hostilis deficientibus parochis cum periculo propria vitæ sic oppressis sacramenta ministrare, neque posse fugere, quod Doctores communiter negant.

7. Quartò infero quid dicendum sit de eo, qui te inuadit, cuius ictum declinare non potes, nisi occidas. Reputo te posse occidere, quia illa extrema necessitas non est, cum ab illa se liberare possit, sed potius est extrema malicia. sic Coninchus, 5. numero 95. sine. Bonacina disputatione, 3. questione 4. puncto 4. numero secundo, sine. Sed quid si inuadit ebrius sit, aut pharæneticus, teneris ne tunc te permitti occidi, ne in peccato alius moriatur?

Na 2 Respondeo

DE SACRAMENTIS
BAPTISMI
ART. III.